



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Dympna V. M. 15. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

15. Maii. VITÆ SANCTORUM. 315
vem sub hâc grandine mortem, inque
mediam se procellam inferens, suosque
amplexa servatores, popularis insanix
reliquias exhaustit. Vixit tamen etiam
cum detonuisset, & ultimum gladio spi-
ritum impendit. Sed nimirum saxa &
sanguinem loquimur: Beatuli nostri ire
ad cælum viâ lacteâ, & calcare rosas vo-
lunt. *Ex Surio.*

*Noli vitæ hujus felicitatem pravus ho-
minibus invidere, sed condole. Imò quia
ipsi non dolent, potiùs ingemisc: qui nimi-
rum velut bruta animalia ad macellum e-
dendo properant, & ad gladium lascivien-
do festinant. S. Pet. Dam. lib. 8. ep. 6.*

S. DYMENA V. M. 15. Maii.

Nisi frontem unâ cum oculis amisit
improbus amor, erubescet ad infamiam
facinoris, quod ipso auctore, sub
annum sexcentimum gestum est. Re-
gebat eo tempore Hibernos rex barba-
rus, nullâ re nisi amore odioque filix no-
bilis. Viduatus conjuge filiam in thorum
pellexit, eâ quidem formâ, cui compa-
rari eo ævo nulla poterat, sed iis mori-
bus, ut non modò incestos amores abo-
minaretur; sed præter Deum nubere om-
nino nemini in animum induceret. Vim
tamē verita ab infano amatore, cum Gere-
berno sacerdote fugam ultra mare cape-
sit, & in agro Antverpiensi sanctioribus
se curis addidit. Pater eodem paulò post
ap-

316 VITÆ SANCTORUM. 15. *Maii.*
appulsus, cū illa ipsa imagine signatum
argentum exponeret, quā obsonator fi-
liæ hospiti satisfecerat, ejusdem indicio
filia prodita est. Fœda omnia sunt, quæ
deinde procius dixit, vel carnifex fecit;
malum tamen spectare sanguinem,
quàm audire verba improba & lenonia;
quibus cū nihil moyeretur, Gereber-
nus primū tutor pudicitæ illius, ferro
obtruncatus est; Virgo deinde parentis
ensē cecidit nobilissima castitatis victi-
ma. Funus cælum curavit, neque puduit
Angelos vespillonum officium occupa-
re, allatis è candido marmore urnis.
Virginis honori hoc ampliùs datum, ut
nomen ejus gemmæ Angelus inscribe-
ret; eo argumento agnovit posteritas
D Y M P N A M vocatam fuisse. Ite nunc
Alexandri, & manus quibus pingi fingi-
que velitis, quærite: Castitas cælatores
Angelos habet, & tamen heu! quàm
pauci cupiunt hoc calculo notari! *Ex*
Surio.

*Eant nunc luxuria dediti, & ad pro-
priae carnis arbitrium vivant; ut animâ
postmodum & carne simul intereant: nunc
medullas mundanæ dulcedinis sorbeant, ut
repleti tunc perpetui cruciatus absinthio-
tis visceribus amarescant. S. Pet. Dam.
lib. 7. ep. 19.*

S. UBAL-